

Ze
6360

OK. 274.37 EMMETRON
ONOMASTERII

Viri

*Reverendi admodum, Clarissimi & Excellen-
tissimi,*

DN. BARTHOLOMÆI

STEPNERI, Cygnei, SS. Theol. Licent. Pa-
storis in Patria & Superattendentis vicinæ
Diœceseos vigilantissimi, &c.

Domini & Patroni sui Venerabilis,

voto pio ac ieruo

felicitandis,

nuncupatum

à

CHRISTIANO DAUMIO CYGNEO,
Schola Patriæ Collegâ Tertio.

cum προδίκη

Diversorum Gratulatoriorum Carminum

EIDEMMET,

Observantiæ testandæ causa,

ab eodem,

hactenus oblatorum.

CYGNEÆ,

Exscribebat typis Melchior Göpnerus,

Anno M DC LI.

Εὐσεβίου Votivum:

*VIVE DIV, Patre sIDVs, Stepnere, Ca-
tbeDra,*

Et VIVant, VoVeo, sorte beante, tVI!





EMMETRON
ONOMASTERIIS

Rev. admodum, Clariss. & Excellentissimi,

DN. BARTHOLOMÆI

STEPNERI, SS. Theol. Licent. & Ecclesiæ Diocæcesosq;

Zyviccaviensis Ephori, &c. Anno clō 17c Lt.

dicatum.

STROPHE I.

ECquid audaces ego molior Dithyrambos,
In grege Cygnorum svaviter drensantium
Ne gratitans anser quidem?

An jus & æquum est, nido ut ipse maiores
Extendam pennas, me ridendumq; propinam
Zoilastris, genti amaræ, recta cui nemo sapit,
Haud inscius, me neutiquam propitio
Utier Delio?

ANTISTROPHE I.

Novi ego, novi invalidi tremores lacerti,
Nec mea fugit me imbellia. At nec turgida
Me fascinat præsumptio.
Natura ducit, Quisnam ei reluctatur?
Sic Genio trahor ipse meo, amplectorq; quod ille
Tam volens offert, lyramq; pulso, utut nec umbram eo
Tangat MELISSI, nedum ut æmula queat
PINDARI exsurgere.

A 2

EPO.

Ca-

VI!

EPODOS I.

Hæc Lux quidem, felicibus
Astris orta, graves numeros, quin grandia Cantus
Poscit heroi magis orsa: verum
Res hæc pectoris est, quod ipse Phœbus
Obsedit, & Perennitati
Quod consecrârunt Gratia.

STROPHE II.

Est pol, est istud nimium, quod ausus fui ultra
Modos receptos singulari incedere,
Tamen nec exemplo procul,
Viâ, licet fors votum ad omne Successus
Respondere neget. Sed non insistere laus est
Tertio quartove nulla, si gradu haud primo datur,
Vel & secundo. Sæpe Livor abicit,
Quod probant Candidi.

ANTISTROPHE II.

Quod Camœnæ defuerit remissæ, profundus
Supplebit ardor animi alacris & pii.
Nec, si vel æquem ipsum Orphea
Doctâ Poësi, Thraca vel Linum vincam,
Utilior fuero Tibi, & indespectior hilo,
Nate STEPNERO, Sionis Gloria, ô nostrum Decus,
Quam si polorum mitto ad atria Preces
Pro tuis commodis.

EPODOS II.

Quæ paginam in Felicium
Vitâ utramq; facit, Cælestis Gratia sola est.
Cui datur, callem bene cursitabit:
Infelix, cui denegatur illa.

Ergò

Ergò
Nos

Arrig
Cur
Prece
Quæ
Sacr
Qua
Fugi
Qua

Grat
Inco
Vis f
Acu
Judic
Mur
Quic
Non

Tibi
Qua
NES
Igna
Om
Nec

Bis

Ergò huic litemus! Haud novenæ
Nos sospitabunt Virgines.

STROPHE III.

Arrige ô aures, Patriæ tuæ Stella, Templi
Curio verende! Nonne erant Parentium
Preces tuorum, votaquæ,
Quæ Te puellum Cælicæ modò natum
Sacrarant Fidei? Repulitne JEHOVA precatûs?
Quantus ah periculi imber, quanta morborum cohors
Fugit juventutem tuam! Miseria hinc
Quanta abiit Viro!

ANTISTROPHE III.

Gratiæ acceptum referes JEHOVÆ, Tibi quod
Incolume perstat corpus, & sanæ viget
Vis sarta mentis. Ingeni
Acumen inde, Nectar oris hinc dulce est,
Judiciiq; fides. Animumq; Modestia magnum
Muneri inde aprat sacro, dexter ut præsis ei.
Quid, nostra si Vota aßona hiscè calcant,
Non coaddat Polus?

EPODOS III.

Tibi omnis Ætas hac die,
Quæ Tibi lucescit, FELICIA CUNCTA precatur,
NESTORISq; ANNOS. Age VIVE, FLORE,
Ignarusq; Mali, Boniq;ve compos
Omnis. Rata eja Vota senti,
Nec sperne Musam horum indicem!

Votum χρονολογικόν.

Bis DVoDena Dies AVgVstl faVsta resVrgat,
FaX patriæ Aræ, EratVs CVra, Stepnere, tibi!

A 3

ME-

Ergò



MELOS ALCAICUM,

EIDEM,

Cum in Patriam ad Pasturam atq; Eporiam
Ecclesie ac Dioceseos illius obeundam se
conuulisset,

Anno cl. lo. cXLVIII.

sacrum,

Quæ Te Cathedræ, Lux bona, Patriæ,
STEPNERE, Svadæ Gloria, Præstitem,
Primùm salutavit, pol illa
Perpetuis memoranda Fastis,

Et digna gemmis nobilioribus
Fulget notari. Gaudio ab ubere

Tui Parentes, atq; nexu
Proximiore tibi jugati

Cognitionis, io, ter io! Diem

Ohunc beatum, Sortem ô amabilem,

Faustamq; felicemq; clamant,

Et, BENE SIT TIBI PERPETIM! ore

Læto apprecantur. Pars quoq; Patriæ

Nos parva ovantis tenuia sumimus

Congratulabundi movere

Plectra, calente fibrarum abyfso.

Et, SECLA VIVAS NESTORIS, ô potens

Dono superno Nestorei Eloqui,

CHRISTIq; Præco luculente!

Ingeminare viciffitate

Affectuosâ. Sospite Te nequie

Non esse sospes Patria, tu polum

Flectes

Ferv
Ecau

Und
Neg

Attu
Chr

Cha
Imp

Tec
Salv

Flectes precatu, Numinisq;
Flammivomam cohibere bilem
Fervebis aspri. Gratia blandior,
Et aura Pacis cælitis hospitos
Fovebit aspirans Penates,
Scævaq; quæq; pedem malignum
Unde attulerunt mox referent eò.
Neglecta Virtus, Integritas, Fides,
Mores pudici, pura olente
Limina forde redoccupabunt;
At tu labruscas degeneres putans,
Christi feraci germine Vincam
Vestire perfer. Sic Laborem
Haud faciat tuum inefficacem
Charis Jehovæ ; sic onus allevet
Impòstum, & omnem colluviem eluat
Molestiarum ; sic quietus,
Incolumisque, opulensq; vivas !
Tecumq; salvam non sine Coniuge
Salvâ Propagem cernito, vestraq;ve
Nunquam querela incestet ulla
Gaudia, vel trepidans tumultus !



JAMBUS PURUS
E J U S D E M
ONOMASTERIIS
Anni à CHRISTO nato
cl. l. cXLIIIX.
consecratus.

TIBI vacare, Mystra Maximi DEI,
Jubarq, grande Patrie,
Verende Praestes, ò STEPNERE, Cygnidos,
Meumq, splendidum Decus:
Tibi vacare Nomini tuo sacra,
Dies, oborta sidere
Beatiore, me jubet, lapillulis
Dies notanda candidis.
Juvat vacare, Gaudio ebrium juvat
Mero auspiciatier Sacris
Bene-ominata verba, more pristino, his.
Profana abito Concio,
Nocensq, vulgus! Ore nunc favebitis
Puer, Puella; Vir, Nurus;
Senecta ningve verticis peralbida;
Rudisq, & erudita gens;
Inopsq, disq,; rustioiq, & urbicu;
Gregarii atq, Nobiles.
Ferox rebelle murmur Euris opprimet,
Procella cedet impotens;
Aprica Lucis istiusce gratia,
Inane pinget aureum,

Et

Et inquinator omnium facerrimus
Lubentia atq; Plausuum,
Molestus Angor, illiusq; Mæror, &
Metus, Dolorq; complices,
Recedere antra diligent ad Orcia.
Iò! capaxne Gaudii
Cor bocce fertur istius, pararia
Sionides quod excitant?
Sibi recedit entbeante Mens mea
Redoccupata Numine,
Melosq; discit, incinat quod arduis
Jehove abinde Laudibus,
Salutis omnis unico Auspici, redux
Beante quo Dies venit
Amœna, grata, leta, fausta, sepeq;
Precum vigore divitum,
Amans tui usq; & undiq; quas cohors
Movet, dein regressilis.
STEPNERE age Omen istud ò habe ratum!
(Negare nam quid à Pio
Queat, velitvè fervidis precatibus
Grege Ætheris Benignitas?)
Ducentiesq; Nomini tuo sacram
Redire cernito Diem!
Marita cara, mista Liberum manus,
Opere tecum Eam apparent!
Quod Axe si Monarcha summus in suo,
Humiq; Rector arida,

Det expetita Tempora ut recurſitent,
Furoris inſcia hoſtici,
Quiete mollia, atq; Pace dulcia,
Opumq; prodiga ubere,
Salubris Aura q̄veis, Vigorq; corporum
Faceſſere agritudines
Perennè mandet; Ara ture dapſili
Calebit illius fragrans,
Et usq; & usq; vox ſonabit omnium:
BONI HUIUS AUCTOR EST DEUS.
Eum rogante Tu laeſſito prece;
Vocatus audiet Pater.
Camæna noſtra ſic, polita quamlibet
Minùs, ſed aſpera & rudis,
Tuis tamen medullitùs dicabitur
Alacris adſtes Orgiis,
Cathedra & Unio, & Nitela Patria,
STEPNERE Fautor unice!

IISDEM SACRIS
Anno Chriſti clo lo cXLIX.
celebratis.

ARma, ferosq; enſes melior ſibi vindicat uſus,
Dum Mars Teutonico juſſus abire ſolo eſt.
Sat lacrumæ, ſævisq; datum mœroribus, ex quo
Vaſtavit miſeros Cacula diras agros.
Nunc rerum facies vertit: poſt triſtia Phœbus
Nubila largiſſuâ luce ſerenat humum,

Atq;

Atq; ævum spondet melius. Qvis tristia curet?
Est favor à cœlo qui jubet hasce vices.
Obsequimur ter Sancte, tuæq; hæc Gaudia laudi
Vivimus, ô omnis Fonsq; Caputq; Boni!
Tu fessis tanto imbre mali tuta Otia præbes,
Tu Curarum abigis nigra, Solumq; beas.
Ergo tibi vox hæc, tibi mens, tibi fibra resultet,
Et decus augefcatur, Numen, ubiq; tuum.
Pangat Epos Vates, fide dulce superbiat Orpheus,
Et nemora, ac montes carmina grata litent.
Mox Aris sua gloria erit, mox Jura vigeant
Reddita, mox Cliùs restituatur honos.
Eusebie, Integritas, castus Pudor arva revisent,
Quæ pede securo quilibet usq; teret.
Præteritas proli numerosæ pandere clades
Dulce erit ad lætas Patribus inde dapes.
Tanta bona ah lapsis nos non hilarâsse sub annis,
Ferro incestârat quos rabiosa cohors;
Quæis Vitam haud-Vitam traducebamus, agendi
Anxiam ab incerto Vesperis incubitu!
Numinis at tu digne Augur, STEPNERE, politum
Sacratæ Os Pithûs, Laus Patriæ atq; Jubar;
Incolumi lætos reparat cui Musica cantûs
Militia, & voto fausta precante vacat;
Nobiscum grates rerum meditare Parenti,
Dona tot illius fidera ad alta vehens,
Et precis assiduæ pietate exposce Jehovam,
Asserat ut seris integra post-genitis.
Sic, quam puniceo splendentem hodie exeipis ortu,
Lux tibi prosperior prosperiorq; micet:

Atq;

Sig.

Sic te larga animet divini gratia Flatûs :
Robore sic vigeant membra, animusq; novo :
Copia sic cornu stipet prædivite vestra
Limina: Sic felix sit tua tota domus :
Nestoris exemplo sic cano floridus ore
Jucundos peragas aureolosq; dies !

EJUSDEM
HONORIBUS
LICENTIÆ

Summum in Theologicâ Facultate Gradum
assumendi
in Inclÿta Philyrea Anno M DC L.
ei collatis.

QVæ Tibi jure novos merito decernit honores,
LIPSIÆ, Cygnensi Præstes in Æde facer !
Talibus affari visa est tua Magmina dictis :
Hæc cape pro Studio præmia, Care, gravi ;
Esto animi intrepidus, Decus & vigil assere CHRISTI,
Impiaq; adversus dogmata bella gere.
Non levis ista tuos humeros provincia poscit,
Mille pericla vides obvia, mille dolos ;
Quæq; vel Angelicis res sit metuenda lacertis,
Haud rudia hîc hostis spicula torquet iners !
Qvis Satanae potis est cunctos numerare furores,
Impete qui dire Christiadum agmen adit ?
Qvis, quæ cum Mundo nobis, luctamina, surgunt ;
Qvi rapitur pronis in scelus omne rotis ?

Quid

Qvid, grege pro toto ratio reddenda quod olim,
Et curanda anima est sanguine parta DEI?
Hic labor, istud opus, quod nã sine Numine frustra
Suscipies, tantùm viribus ause tuis!
Tu, STEPNERE, ergò Patriæ fide Arbitr Aræ,
Ex sola pende Cunctipotentis ope.
Hic te majores animabit prosper ad Orsûs,
Conspondens ceptis robora fausta ratis.
Imacte hoc titulo! Mox te Doctoria cinget
Infula; Qvondam æther nobiliora dabit.
Audiit, & socio cum Plissâ applausit Elyster
Exsertans hilarum cœruleo amne caput.
Audiit & patrios liquido qui flumine campos
Irrigat, ac plenis, Molda, susurrat aquis;
Et ter Iô! cecinit: FELICIBUS UTERE FATIS!
Præsule Te nostri floreat uber agri!
Daumiadæ calamum Cœli ira excusserat ardens
Nuper, abhinc doctos nesciit ille modos: *
Exuri gemuit, Templi Decus utile, Turrim,
Et timuit Musis ultima damna suis:
Gratia sed miris indulgentissima IHOVÆ,
Gratia non ullâ sat recinenda lyrâ,
Respexit miseros, & miro tegmine, salva,
Templum ipsum, & Cives præstitit, atq; Domos.
Respiciat nos ô porrò hæc, & agenda gubernet
Omnia, ut eveniant grata polo, apta solo!
At tu Cygnæ reducem te siste Cathédrae,
Magne PATRONE, bono concomitante DEO.
Et, Stirpis Decus egregium, vivace Senectâ,
Commoda fer Patriæ multa, foveq; Tuos!

Qvid

Memo

* *Mensoria eius Infortunii Chronodisticum hoc
conciinnabam.*

Vt LVX Aprilis, post Octobris, Vna recessit,
Campanæ ac Virilis Vestra, Cygnæa, rVVnt.

EJUSDEM
NOMINALIBUS

Anni clō lo cl.

Augustus Mensis, Lux Bartholomæaq; in illo,
Trux olim Mensis, tristis eratq; dies:
Augustus nobis, Lux Bartholomæaq; Gallis,
Planctus exstiterant plurima causa feri;
Hæc, quia mortiferæ bacchata insania cladis
Sæviit in regno Gallia terra tuo,
Seqvana dum innocuo rubuit tumefacta cruore,
(Proh crimen!) fudit quem sceleratus Hymen;
Ille sed, hostili tunc primùm subdita juri
Patria cara, tibi quod peracerbus erat.
Nunc vertere vices: Augusto Nomine gaudet
Omneq; Augustus, Pax quia facta redux.
Cygnæa horrorem dediscit libera ferri,
Otiaq; instaurat pristina, casta metus;
Lætitiæq; ferax Lux Bartholomæa recentat
Plausificos, gestu nil trepidante, sonos.
Hæc Tibi sacra dies, Cathedræ nitide Unio, vitæ
Spondet inoffensas per spatia ampla moras.
Hinc plateæ resonant: Vox lo canit omnis, & Euge!
Dona ferunt dites: Sed prece ege ne cales.
Ipse quibus celebrem hanc numeris? quo carminis ornem?
Alite? quæ meritis dona ego digna feram?

Qualis

Qualis ubi Castor luces cum Fratre carinis;
Irati tumidas post maris orbe minas;
Vix sibi met credit jactatus fluctibus atris,
Qvi se servatum sic stupet, æquor arans:
Talis ego creperæq; vices post sortis amaras
Angorumq; cruces, vix mihi credo satis.
Et fracta ægrè edo, atq; incondita verbula lallo,
Et mea lætitiæ mens minùs apta suæ est.
Ergò alii Oeagrius docto æquent carmine nervos:
Canna strepet saltem jùbila nostra levis.
Tu verò, STEPNERE, tuæ Patriæ inclyte Præsul,
Lætitiàm gaude nunc solidè, eja, tuam;
Et cape pro dono tibi fausta Melisma voventis!
Qvi bove non potis est, non male lacte litat.
Dent Superi augustam sortem tibi, dentq; suävem
Canitiem; Musis materiem usq; meis:
Sic Augustus erit nobis per tempora festus
Annua, sic dulcis Bartholomæa dies!

MOMO FORTE SUO.

Ingenium cujus non tam vis morbida fregit,
Nec laceraverunt agmina densa mali;
Sed vigor illustris commendat, plurimæq; amplæ
Gloria doctrinæ, nacta quietis opem:
Alite majori se Carminis efferat ille.
Luscinia hæud Cornix garrula adæquat Epos;
Prodere quam Pietas jubet officiosa, Camœnam
Mome horres? at cur deteriora legis?

F I N I S.


Ze 6360

111

111



OK. 274.57
 ON
 Reverendi ad
 DN. BA
 STEPNERI
 storis in Patr
 Diœc
 Domini E
 CHRISTIA
 Schola
 Diverforum
 Obse
 h
 Exscribeba



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

